

16  
D. D.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA  
**BREVISSIMAM**  
**DELIN EATIONEM**  
**INDOLIS PHILOSO-**  
**PHIÆ EPICETETICÆ**  
SISTENS,

QUAM

*Suffragante Ampliss. Facult. Philosoph. in Reg.  
Acad. Aboënsi.*

P R Ä S I D E

MAXIME REVERENDO Atq; CELEBERRIMO VIRO  
**D<sub>N</sub>. D<sub>OCT</sub>. CAROLO**  
**MESTERTON,**

Log. & Metaphys. Prof. Reg. & Ordin.

*Cum modestia benignæ Eruditor. censuræ subjicit*  
**CAROLUS SCHÆFFER,**

AUSTRO - FENNO.

In AUDIT. MAJORI Die X. Decemb. MDCCLVII.  
H. A. M. S.

---

ABOÆ, Impressit DIRECT. & Typogr. Reg. Magn. Duc.  
Finland. JACOB MERCKELL,

V I R O  
SUMME REVERENDO Atque AMPLISSIMO  
**D<sup>N</sup>. D<sup>OCT</sup>. JACOBO  
GADOLIN.**

Scient. Nat. PROFESSORI Reg. atque Ord. Reg.  
Acad. Scient. MEMBRO Dignissimo, utriusque  
Consistorii ADSESSORI Gravissimo, Ecclesiæ  
Aboens. Fen. PAST. longe meritissimo,  
Rectori p. t. MAGNIFICO,  
MÆCENATI MAXIMO.

**N**E mireris, Magnifice Domine Rector, quod Nominis Tui Magnifici splendore, præsentem meam, omni nitore destitutam, illustrare sustinuerim, opellamus tuus favor, Magnifice Vir, quo omnes musarum cultores amplecti soles, me dubitare non permittit, quin hasce etiam ingenioli mei primitias, Magnifico Tuo Nomini consecratas, benigno vultu suscicias, tamquam summæ meæ venerationis sempiternum pignus. Faxit Summum Numen, ut Tu, Magnifice Vir, per diu felicissimus vivas, valeas, floreas. Sic voveo voveboque, quoad vixero,

NOMINIS TUI MAGNIFICI

humillimus clieſe  
**CAROLUS SCHÆFFER.**

*Admodum Reverendo atque Praeclarissimo VIRO,*

**DN. JOHANNI  
HORTELIO,**

PASTORI atque PRÆPOSITO Ecclesiarum, quæ in  
Nyby colliguntur longe meritissimo.

*Plurimum Reverendo atque Clarissimo VIRO,*

**DN. JACOBO  
MALM,**

PASTORI Ecclesiarum, quæ in Victis & Pyhäjärvi colliguntur Vigilantissimo.

FAUTORIBUS OPTIMIS.

**I**N monumentum gratitudinis animi debitæque  
venerationis, pro beneficiis haud raro sibi præ-  
stitis, nominibus Fautorum suorum certissimo-  
rum, has incomtas lineolas, cum fidelissima o-  
mnigenæ perennisque felicitatis adprecatione, of-  
fert, dicat & dedicat,

NOMINUM VESTRORUM

*devotissimus cultor*

CAROLUS SCHÄFFER.

Sergeanten,  
Adel och Högvälvaktad  
**Herr GEORG FRIEDRIC TILLMAN.**

Min synnerlige Gynnare.

**M**E I, mit Herre, under den tiden jag haft åran, at lesda Edra kåra Läfsplantor på dygd och wetenskaps wägen, behagat lemna mig närmaste prof af barna rätten uti Edert hederwarda hus, sâ uptagen då detta omogna Academiska förslöf, det jag nu Eder, mit Herre, i hörsamhet uppförar, såsom et wedermåle af min wördnadsfulla årkanslo. Jag har den åran under en beständig förbön, och all timmelig och evig sällhets tilbörlan framlesva

Min Herres

Reverendo Atq; Doctissimo VIRO,  
**D. JOHANNI CHRISTOPH. SCHÆFFER,**

Assiduo verbi divini Ministro  
in Vichtis & Pyhäjärvi,  
FRATRI Amantissimo.

**P**lausu certe per summo, hac jam diu vehementiori affectu desiderata luce, in sempiternam mutui fraterni amoris nunquam desituri pietatisque debitæ atque gratitudinis tesseram, Tibi, Frater Exoptatissime, has incomitas pægellas consecratas esse volui. Vota calidissima pro flore tuo felicitateque perenni ad urnam usque fusurus.

Carissimi Nominis TUI

Ödmjuk hörsamste tjenare

quasi dilectissimus Frater

**CAROLUS SCHÆFFER.**



J. N. J.

§. I.



Psalmus inscriptio subarguit  
dissertationis nostræ maximam  
partem fore alienorum conce-  
ptuum resolutivam, ut cum de  
proprio splendore nobis diffisi-  
simus, ab externo nascatur  
pretium per summum inter  
Stoicos Philosophum moralem.

Is *Epicletus* est, cuius vitam & obitum prolixis li-  
bris prosecutum fuisse Arrianum scribit *Simplicius*,  
quos vero intercedisse temporis injuria, eo magis  
dolendum est, quo magis *Arriani Epicteti* fuisse  
studiosissimum constat: vitæ itaque ejus historia in  
veterum monumentis passim dispersa colligenda est,  
qua in re diligentem recentiorum doctorum vi-  
rorum labor præstítit operam. *Hieropolitanum*  
*Phrygem* fuisse, *Svidas* testatur; pauperibus pa-  
rentibus natus adeo fortunæ bonis destitutus fuit,  
ut in servilem conditionem dejiceretur, quam ta-

A

men

men miseriam *Epicleti*, præstantissima ejus animi bona pensarunt. Ingenium acre & excellens, & dijudicandis hominum moribus aptissimum, tanta que philosophiæ cognitio, quanta in homine acutissimo quæri, & ex indefesso Stoicæ philosophiæ studio, gravisque magistri institutione acquiri potuit, fuit *Epicletus*. Præceptore usus est *Rufus*, cuius in dicendo vim corripiendique libertatem prædicat, narrans sic dixisse de moribus, ut quisque eorum, qui assideret, putaret, se ab aliquo criminis cujusdam reum peragi: sic reprehendisse ea, quæ siebant, sic mala ob oculos posuisse, ut dolorem incuteret, & emendationis voluntatem excitat. Et hoc quidem præceptore grave illud distinctionis genus, vimque dicendi istam, quam tantam habuisse efficaciam testatur *Arrianus*, ut auditores, quocunque vellet, moveret, *Simplicio* vero homines, qui illa non efficiantur, vix ac ne vix quidem apud inferos corrigi posse visi sint. Addidit robur vimque summam exhortationibus *Epicleti*, vitæ ejus integritas, quanta a Stoico postulari potest a Divini spiritus agitatione nondum emendato, maxima dignaque, quæ aliis exempli loco præluceat. Extra controversiam positum est, animi recti virtutisque amantis magnitudine & infraacto ad quævis adversa pectore in tota Zenonis schola non fuisse, qui *Epicletum* superavit. Tantæ vero & doctrinæ & virtutis philosophum quamvis se præstaret *Epicletus*, non potuit tamen tam nobile Romanae sapientiæ fidus tolerare monstrum illud *Rufus*.

mani orbis, *Domitianus*, qui cum philosophos omnes ex urbe & *Italia* excedere juberet, ne *Epiceteto* quidem pepercit. Exilium hocce magno tulit animo *Epicetus* noster, patriam sibi fortunarumque suarum sedem ubique esse, qui civis totius mundi esset, divitiasque suas & fortunam secum ferré omnem ratus, *Nicopoli* igitur scholam aperuit, ibi remansit *Domitiano* e vivis sublato, quamvis redundi potestas philosophis erat facta. In hac urbe philosophiæ ope animos hominum emendandi studium non deposituit, sed juvenes & senes ad mentis felicitatem rite parandam & conservandam philosophiam edocuit, at quoscunque auditores naectus est, inter ambulandum, in concessibus hominum & quacunque licebat occasione, de moribus ita disseruit, ut sapientiae, quam possidebat, præstantia & dicendi, qua utebatur, libertas omnes in admirationem raperet & magna cupiditate hos sermones scriptis philosophiæ studiosi annotarent. Nihil ipse scripsit *Epicetus*, quæ enim scripsisse dicit *Svidias* de annotatis discipulorum ex ore præceptoris intelligenda sunt. Ex illis vero non enchiridion tantum collectum, sed & congestæ ab *Arriano* dissertations Epiceticæ, quas *Simplicius* commentario explicuit. In his doctrinæ moralis Stoicæ præceptis dicta occurunt, non phraseologiam tantum Christianam mire referentia, sed & doctrinam sacram haud obscure imitantia, quæ occasionem dedere viris quibusdam doctis, *Epicetum* inter latentes Christianos vel semi Christianos referendi,

quod tamen rectius inficiati alii sunt. Etsi enim negari non potest, sobrie magis philosophatum fuisse *Epicetum*, quam Stoicos cæteros magisque virilem esse doctrinam ejus, quam reliquorum hujus familiæ philosophorum, cuncta, tamen, si recte ponderentur, quibus superstructa sunt principiis, aut ex quibus fluunt, permulta non tantum lubrica sed & plane impia deprehenduntur. Nocent itaq; meritoq; damnentur in systemate Stoicorum spectata, sed extra illud considerata, prosunt, recteq; laudantur.

Vid. Brückeri hist. Crit. Ph. Tom. II. p. 568. seqq.

### §. II.

**C**UM enim hic laudatus vir, tum conscientiam sui, tum experientiam aliorum sibi magistrum agnovisset, certe perspexisset homines a primordiis ætatis suæ non nisi pessima anhelare, ab iisdemque, quæ cum fana ratione congruunt, maxime abhorre. Unde ait: *si puerum non vis peccare, stultus es, vis enim, ut vitium non sit vitium* (a). Vedit igitur hinc non solum non parum mali mortalibus imminere, sed omnem quoque felicitatem extremo periculo expositam esse. Ut jam huic malo medeatur statusque hominum meliorem in frugem redeat, necessarium duxit, ut mortales cognitione morum imbuantur eorumque assiduo studio, ad fruitionem beatitudinis felicitatisque, perducantur. Hanc ob caussam & noster *Epicetus* philosophiæ morali, ut supra monuimus, maximam navaverit operam, illamque auditoribus feliciter, pariter ac utiliter proposuerit. Ex cujus propositionibus, lo-

cos maximi momenti, in unum collegerit, enchiridiique titulo ornaverit *Arrianus* discipulus ejus (b). Qui libellus postmodum perplurimis & in his maxime *salmatio* ita adeo deliciis fuit, ut exinde maximam voluptatem caperet, locoque normæ morum haberet. Nos quoque desideriis eorum, quibus, hac ætate, mores curæ sunt, ut, quantum valemus, satisfaciamus, hanc sèpius denominatam doctrinam, quasi renovare & qua indolem, ac diximus, tractare, nobis constituerimus. In qua ne cuidam obscuri videamur, illam ab aliis scientiarum speciebus distinguere studemus. Definiemus igitur illam per scientiam, qua actiones hominum liberæ, in statu naturali, ad obtinendam felicitatem, diriguntur. Neque hoc parum luminis rei nostræ perfundet, si methodum, qua in hoc negotio usursumus, dispiciamus. Naturæ rationique conveniens esse, non potest negari, ut certus finis in actionibus humanis, ante omnia, præconcipiatur, dein vero mediis, ad obtinendum finem convenientibus sufficientibusque consulatur. His præmissis, satis constat, methodum, qua nobis utendum est, analyticam dici debere, in qua a fine ad media perveniendum esse constat.

(a) Enchir. C. 19. (b) *Arr. Ep. ad Masgal.* in *simpl. p. 130.*

§. III.

**M**ethodus, quam §. II. evolvimus, requirit, ut considerationem finis philosophiæ *Epiceticæ*, mediis disquirendis præmittamus. Finis, propter quem, morum doctrina docetur atque discitur, est

mum bonum sive beatitudo atque felicitas hominum. Hanc vocat *epictetus* ἐνδαινοιαν (a), illam ἀλευθεριαν (b). Hæc vocabula declarat *Epictetus* variis aliis vocabulis, quæ & majoris emphaseos causa his addenda sunt, & sequuntur, ut: ἀπάθεια (c), ἀσφάλεια (d), μεγαλοψυχία (e), ῥουχία (f), ἐνσυνθεία (g), αἰφοβία (h), ἀπερεξία (i), ἀλυπία (k): Quæ vocabula licet, qua maximam partem cum a privativo coniuncta sint & negative se habere videntur, maxima tamen harmonia cum affirmativis gaudent & positive optimeque rem expoununt. Quæ quoque omnia, in unum collecta, ab *Epicteto*, sequentibus utpote sigillo, obsignantur, τησσαρὶ κατὰ Φύσιν ἔχοσσιν περιγένεσιν, *Servare propositum secundum naturam existentem* (l). Ut dicere vellet: homini datæ sunt vires, quibus suas perfectiones, procul impedimentis, promovere eisdemque constanter frui valet, si modo sese, ut animal ratione præditum decet, gerat. Ex quo jam quisque intelligere queat, *Epictetum* his nihil aliud intendisse, quam ejusmodi statum, in quo homo libere atque continuo perfectionum suarum progressus promovere, gaudioque ex studio virtutum percepto perpetuo atque constanter perfrui potest. Hæc autem ipsam beatitudinis felicitatisque definitionem constituunt. Ergo vides sode, beatitudinem atque felicitatem esse finem philosophiæ *Epictetice*, de quo satis dictum arbitramur.

(a) Enchir. C. 4. (b) Ibid. (c) Enchir. C. 4. Arr. I. 4. (d) Arr. III. 2. 275. (e) Arr. II. 16. 201. (f) Arr. I. 10. p. 46. (g) Arr. I. 29. 113. (h) Arr. IV. 7. (i) Arr. II. 2. (k) Arr. IV. 3. 446. (l) Enchir. C. 9.

## §. IV.

**P**Ræcedente §. III. satis demonstratum ivimus, quod *Epictetus* certum finem philosophiæ suæ intenderit. Nunc autem in eo versamur, ut perspiciamus, num ille & id, quod continet rationem, qua finis ad actum perducitur, excogitaverit, hoc est, medium elegerit. Rem si accuratius perpendimus, utique & *Epictetum* de hac re nos certiores fecisse credimus. Clarissimis enim verbis quemque nostrum alloquitur, nobisque verba, *γνῶν σταυρόν*, commentando, cognitionem sui (*a*), illud validissimum medium esse affirmat, quo beatitudo atque felicitas obtineri potest. Hæcce cognitio sui, ut efficax sit requiritur, ut homo se animal rationale esse cognoscat. Non tamen nos, in errorem *Epicteti* (*b*) Platonis (*c*) atque aliorum plurium, incurrere oportet, qui animam solam totum hominem constituere, corpus vero pro instrumento atque carcere animæ habendum esse, autumant. Nos vero cum Ciceronе (*d*) hominem e duabus partibus, anima nempe & corpore compositum esse certo affirmemus. De hac re jam satis dictum putamus & nos ad institutum recipimus, nec dubitamus animam, quæ nobilior pars compositi est, novam quasi & peculiarem disquisitionem subire debere, quatenus a corpore diversa atque distincta essentia est. Perpendenda igitur sunt ea, quæ extra animam sunt, & ejusdem essentiæ constitutionem non ingrediuntur, & ea, quæ intra animam sunt ejusdemque essentiam constituunt. Hæc sunt facultates ejus,

de

de quibus *Epictetus* *sc̄iōn̄*, judicium, ὅρη appetitum sensitivum, sive impetum, ὅρη appetitum rationalem atque *ἰκαλισσων̄* aversionem, denominat, & hæ sunt in potestate nostra positæ, sive ejusmodi, quæ nec prohiberi ab ullo nec impediri possunt, hoc est liberæ (e). Illa sunt omnia reliqua objecta, ut corpus, divitiæ, gloria, &c. servaque audiunt, hoc est impedimentis obnoxia (f). Minime tamen censendum est, quod sola cognitio animæ ejusdemque facultatum, sit sufficiens ad obtinendum illum, quem diximus, finem, sed ut justus harum usus illam sequatur, ne repræsentationibus minus cognitis ponderatisque deceptus in statum turbulentum perducatur homo, in quo summum malum infelicitatemque ipsi experiendum est. Hæ turbæ hique affectus, quibus se cavebit homo, sunt motus sive actus animæ, a rebus extra nos positis, per appetitum sensitivum exitati. Res ipse sive objecta a quibus affectus ortum trahunt, sunt duplicis generis, vel bona vel mala. Affectus illæ, qui cum voluptate ex repræsentatione boni insignis orta conjunctus est, dicitur gaudium. Ille autem affectus, qui cum voluptate ex repræsentatione mali magni exorta, conjunctus est, tristitia audit. His affectibus cavendis maximam dabit operam homo, sunt enim hi ejusmodi a quibus duobus cæteri pullulant. Hinc tamen non sequitur, quod Stoici contra experientiam, omnes affectus tollere student, minime gentium. Aperte enim Epictetus nullum mortalium, affectuum expertem esse posse testa-

testatur (g) Verum enim vero hi cum affectibus cavendum esse dicunt, nil, nisi eorum servitutem prædominiumque abolendum nec non rationi soli obediendum esse contendunt.

(a) Arr. lib. I. C. 18, p. 77. (b) Arr. II. 23, 246. (b)  
Lib. de hum. nat. sub nom. Alcib. primi. (d) Cic. lib. V.  
de fin. (e) Enchir. C. I. (f) Ibid. (g) Arr. lib. II. 20, p. 227.

§. V.

**C**Um jam magister morum *Epidetos* §. III, tironem atque virtutum studiosum de arce beatitudinis felicitatisque munissima certiorem redderet, rectamque §. IV. ostenderet viam, per quam ad illam perveniendum esset, necessarium duxit, ut viatori satis præsidii daret; Idecirco sui officii memor regulas quoque instar ἀδημῶν atque custodum, illi reliquit, quæ cursum dirigerent & eum, perinde ac ad desideratam morum metam, manuducerent. Quarum potiores & nos his addere non nequivimus & sequuntur:

Num.	Reg.	Cap.
1.	Pie de Deo senti nec Ipsi obloquere.	38.
2.	Ne putas aut velis penes te esse, quæ sunt extra te.	39.
3.	Id existimatuum quod est tuum & alienum, quod est tale.	30.
4.	Quæ tua sunt appete serio & ardenter.	40.
5.	Vide vero an reapse sunt tua.	50.
6.	Appete & spera, quæ tua sunt ne fias ἀτυχής, infelix.	60.
7.	Aversare quæ potes, ne fias δυσυχής, infortunatus.	60.
8.	Appete & aversare prudenter.	70.
9.	Si qua re excidis, considera quanti sit.	80.
10.	Refer omnia ad institutum tuum.	90.
11.	Concipe tibi ejus incommoda, ut si forte obveniant, jam paratus sis & monitus.	90.
12.	Ratio dominetur & non opinio.	100.
13.	Ne efferaris ob præstantiam ejus, quod tuum non est.	110.
14.	Nunquam recede longius ab instituto vita.	120.
		135. Quæ

N. Reg.	Cap.
15. Quæ non sunt penes te, fieri velis, ut sunt.	13.
16. Omnibus visis tuam oppone virtutem	14.
17. Nihil te perdidisse puta sed reddidisse.	15.
18. Ne esto nimis sollicitus de te, sive damnum sive contentum patiaris.	16.
19. Neque de tuis nimium sis sollicitus, cum dispendio libertatis	17. 18.
20. Bona vita externa modeste capito.	19.
21. Lugentibus quidem congemisce, sed sine perturbatione.	20.
22. Quavis conditione est acquiescendum,	21.
23. Portenta te non commoveant.	22.
24. Suscipe viribus paria.	23.
25. Aliorum fortuna te non commoveat.	24.
26. Nec aliorum convitia.	25.
27. Mortem & debilitatem tuam semper cogita; <i>insultus</i>	26.
28. Persta in studio philosophiae, contra ridentium. Nam es in statione tua collocatus, tibiq; in virtutis conscientia sufficis,	27.
29. Contra <i>arripias</i> , honor enim est extra te.	28.
Neque propter honorem philosopharis.	29.
30. Idem judica de te, tuoque viso, quod de alterius conditione eras judicaturus.	30.
31. Considera turpitudinem ex actione αφιλοσοφω refultaturam	31.
32. Omnia officia ex mutuis affectionibus & tuo metire debito, quid ab altero fieri, secernens.	32.
33. De adiaphoris consule saltem oraculum sive vatem.	33.
34. Statue certam aliquam conversandi vivendique regulam.	34.
35. In congressibus ne sis loquax.	35.
36. Neminem nisi familiarem tempori corrigere tentabis.	36.
37. Ritus nec sic multus, nec ob multa.	37.
38. Ne jura temere.	38.
39. Convivia popularia aut externa sive fuge sive cave	39.
40. Quæ corpori servient, eatenus adhibe ut serviunt animo.	40.
41. Temperantiae veneris stude.	41.

\* \* ) II ( \* \*

N. Reg.	Cap.
42. Calumnias de te ne refuta laboriose coram aliis.	48.
43. Spectaculis sic interefso, ut, quæ sunt, velis & tu feri.	47.
44. Ad recitationes raro veni aut tuere gravitatem.	49.
45. Nemini molestus eris interim.	50.
46. Acturus aliquid præfertim erga Proceres, sequere exemplum sapientioris.	51.
47. Tarde admissus ne maledicas magistratibus.	52.
48. Ne te vel tua ipse prædica.	53.
49. Parcus esto in jocis dicendis & audiendis.	54. 55.
50. Cogitationibus blandis ne inhære.	56.
51. Omnia fac aperte, ex decoro & reverenter.	57. 58.
52. Respue personam cui non es ferendo.	58. 59.
53. Age præmeditato & ex conscientia.	60.
54. Corpus cura quantum sufficit.	61.
55. Honora omnes ut oportet.	62.
56. Ne rebus immorare corporis.	62.
57. Læsus ab aliquo, cogita id fieri debuisse.	63.
58. Lædentem considera, non ut lædit, sed ut tolerabilis est.	65.
59. In uno felix in altero feliciorem te non putas.	66.
60. De nemine judica præcipitanter.	67.
61. In congressibus neminem videaris docere velle, nisi exemplo.	68.
62. Patere te argui ignorantia in congressibus, sed scientiam ostende ex factis.	69.
63. Fuge ostentationem.	71.
64. Omnem utilitatem & damnum expecta a te ipso.	71.
65. Philosophi est, nec se, nec alium laudare aut vituperare.	72.
66. Ipsum oportet aversationem & desiderium habere dependens a se.	72.
67. Magis volve naturam rei scriptæ & præcepta, quam verba.	73.
69. Observa hæc velut leges alii quid judicent, securus.	74.
69. Ne differ vivendi præcepta sequi,	75.
70. Sis practicus non theoreticus falcim.	

Leg. Paul. Antonii Disp. de Idea Ph. Ep. Lip. 1681. hab.

## §. VI.

**E**X se, quod hactenus de indele philosophia *Epictetica* dictum est, quisque facile intelligat, quid & quantum utilitatis ornamentiique ex diligenti hujus disciplina consideratione nobis redundabit. Owendimus enim §. II, eam non solummodo exponere, quid illud sit, quod desideria hominem satiet, verum etiam modum & media, quibus illud ipsum obtineatur §§. IV. & V. subministrare demonstravimus. Sub fine autem dissertatione evolvemus paucis, quem praestet usum sui cultori hexce doctrina. I. Eorum est utique cognitionis acquisitionis, de beatitudine felicitate nec non mediis, iisdem obtinendis sufficientibus. II. Admonitio atque exhortatio ad studium virtutum. Quoniam *Epictetus*, in domo gentilium natus tanta doctrina morum studioque virtutum instructus erat, in hisque, perplurimis, qui Christiani dicuntur, magister erit, quanto magis nos, qui in gremio veræ ecclesie educamus ejusdemque libertate, fruimur, iisdem operam dare oporteat. III. Dehortatio, qua nos, ut omnibus vitiis, suennam miseriari infelicitatemque patientibus abstineamus ab iisdemque abhorreamus, incitamus. IV. Beatitudo atque felicitas, velut finis ultimus. De quo §. III. egimus. Si jam morum suam adsequi cupimus, cavebimus, ne ab *Epicteto Φιλοσόφῳ ἀνευ τῷ πράγματι μέχρι τῷ λέγειν, procul factis, tenus verbis,* dicamus. Att. IV. 55. p. 467. Certe haud immerito miremar, ab *Epicteto*, in domo gentili educato tantam tamque concinnam morum doctrinam in lucem produci potuisse, quæ in multis quidem, uno perplurimis, auxiliares quasi, doctrinæ morum Christianorum extendit manus, illamque quasi soror fidelissima, amplexatur osculatur.

Hæc sunt jam, quæ de præsenti materia, pro ingenii modulo, in medium proferre valuimus. Huic jam finem imponimus, ex intimo pectore optantes; faxit Deus T. O. M. ut omnes mortales, imprimis Christiani, assidui morum cultores sint, manentes felicesque se invicem salutent.

## TRIADI GLORIA SOLI.

